



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCCCCXXXIII. Bischof Gaufried von Carpentras erneuet, als päpstlicher
Commissarius, auf Veranlassung des Bisthums Lebus, die
Excommunication des Markgrafen Ludwig des Aeltern und aller seiner ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

DCCCCXXXIII. Bischof Gaufried von Carpentras erneuet, als päpfflicher Commissarius, auf Veranlassung des Bisthums Lebus, die Excommunication des Markgrafen Ludwig des Aelteren und aller seiner Anhänger, Bundesgenossen und Beschützer, so wie das über die Stadt Frankfurt verhängte Interdict, am 14. Mai 1350.

Reverendissimis in Christo Patribus, Dominis Dei gratia Moguntinensi, Treverensi, Colonienfi, Saltzburgensi, Magdeburgensi et Gnesnenfi Archiepiscopis, Et Bambergensi, Eystetenfi, Ratisponensi, Frisingensi, Pataviensi, Tridentinensi, Curiensi, Brixienfi, Merseburgensi, Nuenburgensi, Zwerinensi, Lubicensi, Raceburgensi, Sleswicensi, Verdenfi, Posnaniensi, Vladislaviensi, Caminensi, Warmiensi, Pomesaniensi, Culmenfi et Zambienfi Episcopis, Nec non omnibus et singulis Reverendis Patribus Archiepiscopis et Episcopis ac Venerabilibus Viris Lectoribus Literarum Apostolicarum in Audientia Domini Nostri Pape, Nec non in Porta, in Lubens, in Antiqua Cella, in Buch, in Henrichou, in Kamenz, in Grifouia, in Sagan, Nuenburgensis, Misnensis et Vratislaviensis Dioeceseos, Cisterciensis et S. Augustini Ordinum Monasteriorum Abbatibus, et Wernhero Rectori Ecclesie in Crosna dicte Vratislaviensis Dioeceseos, Nec non omnibus et singulis Prepositis, Decanis et Archidiaconis, Scolasticis, Cantoribus, Thesaurariis, Canonicis, Officialibus, Prioribus, Plebanis, Ecclesiarum Rectoribus et eorum loca tenentibus Regularibus et Secularibus ubilibet constitutis, Guaffredus, eadem gratia Episcopus Carpentoratensis, Executor ad infra scripta, una cum nostris in hac parte Collegis a Sede Apostolica specialiter deputatis, Salutem in Domino et mandatis nostris, immo verius Apostolicis firmiter obedire. Dudum Literas Sanctissimi in Christo Patris et Domini, Domini Clementis Papae VI. Executorias, more Romanae Curiae Bullatas cum filo canabino, una cum tribus Sententiis Diffinitivis, latas per tres Auditores sacri Palatii Apostolici et ipsorum Sigillis Sigillatas, non viciatas non Cancellatas, sed prorsus omni vitio et suspicione carentes, Nobis per Dominum Nicolaum Scolasticum Lubucensem presentatas, recepimus reverenter: Quarum auctoritate Nos Dominum Ludovicum de Bavaria, asserentem se Marchionem Brandenburgensem, Gunterum de Swartzburc Comitem, Johannem de Buc, Conradum et Theodoricum de Zicou, Henricum Stanghe, Milites, Ebelonem de Blankenburc, Philippum de Stowen, Armigeros, Wilhelmum de Rochou, Prothonotarium dicti Ludowici, Henricum Schade, Henricum Slindebyr, Henricum Nuengost, Henricum de Fredeberc, Walterum, Paulum, Johannem et Petrum de Corastburc, prophanos Presbyteros, Wilconem Murou, Petzonem Leonis, Volcmarum de Sagano, Hermannum Gallicum, Johannem Baumgarten, Wilhelmum Landesberc, Nicolaum, Conradum et Enricum dictos Hocman, Johannem et Henningum de Lichtenberc, Laurentium Bavarum, Johannem Bavarum, Bartholomeum Halbepuffe, Winandum List, Henricum Angermunde, Johannem Petersdorf, Tilonem List, Bete Walen, Johannem

Ekman, Johannem de List, Johannem de Gezer ac omnes et singulas personas utriusque sexus oppidi Franckenforde et Universitatem ibidem, et omnia loca et omnes Terras, eisdem Ludovico, Guntero, Johanni de Buc et ceteris prescriptis et cuilibet eorum subjectas et adhaerentes, Interdicto Ecclesiastico suppositum, suppositas et supposita fuisse jam diu et esse, Autoritate Statutorum Provincialium et Synodaliū, Autoritate Apostolica, Nobis in hac parte concessa, nunciavimus: Omnesque confessores prophanantes Divina in Franckenforde predictos vel alios ab Anno Domini MCCCXXXVIII. a XXIII. Die Decembris et citra non fuisse nec esse absolutos, nec absolvi potuisse, sed damnabiliter ab eis audiri Divina et recipi ab eis Poenitentiae, Eucharistiae et alia Ecclesiastica Sacramenta: omnesque Ludovici, Gunteri et Johannis de Buc et aliorum predictorum ex Militibus eorum Vasallos, Officiales, milites, Cives, Rusticos et quoslibet subditos vel subjectos a Fidelitate, Homagio, Servitio, Obedientia, solutione ac prestatione qualibet, qua vel quibus Juramento, Homagio, precepto, Subjectione, Consuetudine vel qualibet alia firmitate vallata tenebantur eisdem, vel eorum alicui, nunciavimus autoritate predicta penitus absolutos: Vosque Reverendos Patres, Dominos, Moguntinum, Treverensem et Coloniensem Archiepiscopos et alios Excellentes Principes, ad quos una Vobiscum in Imperio Electio Regis in Imperatorem promovendi pertinet, Vosque et alios Dominos Archiepiscopos, Episcopos et alios quamplurimos primo, secundo, tertio et peremptorie requisivimus ac monuimus Canonice, ut dictum Dominum Ludovicum de Bavaria ab Electione Regis Romani, si qua imminet, facienda, tanquam Excommunicatum et reprobatum repellatis et repellerent, sic quod nullus vestrum vel ipsorum ipsum in Regem Romanum eligeret, nominaret vel assumeret, seu eligeretis, nominaretis vel assumeretis, neque ipsum ad Electionem hujusmodi per Vos vel ipsos faciendam admitteretis vel admitterent, nec cum eo ad Electionem hujusmodi procederetis vel procederent; Sed quod Vos omnes et singuli prescripti Reverendi Patres et Domini Archiepiscopi et Episcopi tunc saltim Dignitatum Vestrarum et Suarum Nominibus propositis expressi eundem Ludovicum pro reprobis excessibus suis excommunicatum et alios predictos excommunicatos ab omnibus actibus legitimis removerent et removeretis sibi et aliis vel alicui ipsorum, cibo, potu, allocutione, Literarum vel Nunciorum missione, consilio, auxilio, subsidio, presidio vel qualibet alia protectione vel prestatione, seu quovis actu legitimo, casibus in iure expressis duntaxat exceptis, per Vos vel alios non communicarent vel communicaretis, sed studeretis et studerent ipsum Ludovicum et alios predictos et quemlibet eorum tanquam excommunicatum et excommunicatos in omnibus arctius evitare. Denique quod Ludovicum, Gunterum Comitem et alios predictos excommunicatos et ab omnibus legitimis actibus remotos et a christi Fidelibus arctius evitandos singulis Diebus Dominicis pulsatis Campanis et Candelis extinctis per Vos vel alios in vestris Ecclesiis et Dioecesibus nunciaretis, Universitatem quoque in Franckenforde et locum et omnes Terras alias et alia loca presertim Marchie Brandenburgensis et Lusatiae, Superioris et Inferioris Bavarie Ducatum et Comitatus Tyrolis, eidem Ludovico et aliis predictis vel eorum alicui subjectas et adherentes, subjecta et adherentia, suppositas et supposita Ecclesiastico Interdicto, quod mandavimus per vos et omnes alios

observare et facere observari. Item requisivimus et monuimus canonice et nominatim Nobiles Viros Dominos Barnimum Ducem Stetinensem Caminensis Dioeceseos, Ulricum et Albertum sive Alf Comites de Lindau Havelbergenfis Dioeceseos, Haffonem dictum de Wedel Seniore et Haffonem, Wichonem et Hinckonem dictos de Wedel, Gothonem de Greifenberg Caminensis Dioeceseos predictae, Friedehelmum et Johannem Fratres dictos de Cotbutz, Johannem de Strel, Botonem de Turgou, Bernhardum, Theodorum et Fredericum dictos de Torgou, Dominos de Zosna, Henricum de Damitz Dominum in Golsin, Henricum et Borcardum Dominos in Damitz, Ericum et Ottonem Schencken in Schenckendorf et Albertum Patruum eorum Dominum in Teupiz, Ottonem de Yleburc Dominum in Sunnenwalde, Ottonem et Botonem Juniores Dominos itidem in Sunnenwalde dictos de Yleburc, Hartmannum Mager, Conradum et Theodorum Fratres de Ylou, Henricum de Luben, Henricum dictum Vockinrade, Henricum, Walterum et Fredericum de Cokeritz Misnenfis Dioeceseos, nec non Henningum, Henricum et Arnoldum fratres dictos de Uchtenhagen, Johannem, Ottonem, Offonem et Renezonem Fratres dictos de Loffou, Nicolaum, Hermanum et Ericum fratres dictos de Wulcou, Conradum de Storckou, Henningum de Burcarsdorf, Johannem Mildenhopt, Betonem Bucel, Conradum dictum Strantz de Lubus, Gunterum de Slabrendorf, Theodorum Hake, Tamonem et Copponem fratres dictos de Hondorf, Tilonem de Stowen, Johannem de Losfou, Wernherum et Henricum Fratres dictos Lift, Fredericum Lift et Luderum Lift Fratres, Hennkonem, Bernhardum, Nicolaum et Petrum Fratres dictos Wolchartzdorf, Dioecesis Lubucensis, Nobiles, Milites et Armigeros, qui se gerunt pro Vafallis et Auxiliatoribus dicti Ludovici: Item requisivimus Canonice omnes et singulos Abbates et omnes et singulos Monachos Conventuum in Dorbilu et in Nova Cella Misnenfis Dioecesis et in Lenin et in Corin Brandenburgensis Dioecesis, Cistericensis Ordinis Monachos, qui in Terra Lufatie et Marchionatus Brandenburgensis nonnulla Temporalia Bona et Villas obtinent, de quibus Domino Marchioni Brandenburgensi, qui est pro tempore, servire et Tributa prestare tenentur: Item requisivimus Canonice omnes et singulos cives civitatum, opidanos omnium et singulorum opidorum, rusticos, agricultores et inhabitatores villarum, agrorum, habitationum et terrarum totius Marchionatus Brandenburgensis ac terre Lufatie, nec non Superioris et Inferioris Bavarie Ducatum et Comitatus Tyrolis, nec non Comites, Nobiles, Barones, Milites, Dominos, Opidanos, Rusticos, Clericos et Laicos quoslibet nec non universitates Civitatum, Opidorum, Villarum, Collegia, Capitula, Conventus Ecclesiarum Cathedralium, Collegiatarum et Conventualium, Secularium et Regularium et quosvis alios in eisdem Marchionatu, Ducatibus, Comitatu et Terra Lufatie commorantes et dicto Ludovico parentes, obedientes, subditos, subjectos, astrictos, obnoxios et quomodo libet obligatos, ut intra certos terminos, tunc eis et eorum singulis per nos prefixos, ab Obedientia, partitione, intentione, subjectione, astrictione, solutione et omni prestatione, servitio et obnoxietate dicti Ludovici et mandatorum ejus receptione prorsus cessarent, se

abstraherent et abstinerent sibi nec eius Ludovici Prefectis, Scultetis et Advocatis, Capitaneis et Vice-Dominis seu Vice-Equitibus, quibuscunque nominibus censentur, in nullo prorsus obedirent, intenderent vel parerent: Item requisivimus et monuimus Canonice omnes et singulos nobiles, milites, cives, opidanos, villanos et habentes agros in Dioecesi Lubucensi et Cultores seu colonos agrorum eorundem, ut episcopo et Ecclesie Lubucensi infra mensem de integris decimis satisfacerent juxta tenorem condemnationis dictarum diffinitivarum sententiarum, sibi de eisdem decimis responderent et facerent ei quantum ad ipsos et ipsorum quemlibet pertinet, integre responderi. Item requisivimus et monuimus Canonice omnes et singulos Consules, Consulares, Scabinos, Magistros Operum, Operarios omnium Artium, Opidanos et omnes et singulos Incolas, Inhabitatores et Universitates Opidorum seu Villarum Forensium Osna (Drosna?) et Fürstenvelde Lubucensis Dioeceseos, quatenus infra competentem terminum, tunc eis et eorum singulis prefixum, Reverendo Patri Episcopo Lubucensi pro tempore nomine dicte Ecclesie Lubucensis, tanquam ipsorum vero Domino obedirent, parerent et intenderent, sibi Homagium et fidelitatem prestarent et sibi ut ipsorum vero Domino obsequerentur et promerent reverentiam honoribus, auxiliis, consiliis et defensionibus assisterent et de eorum Opidorum seu Villarum fructibus redditibus, proventibus, juribus, jurisdictionibus, honoribus, emolumentis, utilitatibus, obventionibus universis responderent integre et facerent responderi. Item requisivimus et monuimus canonice dictum Ludovicum et omnem alium eorundem opidorum seu Villarum illicitum detentorem, ut infra terminum competentem tunc per nos prefixum, a detentione, occupatione et impedimento dictorum Opidorum seu Villarum et cujuslibet eorum vel earum omnino desisterent. Item requisivimus et monuimus Canonice dictum Ludovicum et Consortes ac Universitatem in Franckenforde Lubuc. Dioec. ut infra terminum competentem et peremptorium, tunc in nostris Literis prefixum, Episcopo et Capitulo Lubucensi de Undecim millibus Marcarum, sexcentis et quadraginta Marcis Brandenburgensis Argenti ratione ablatorum, et de quingentis quinquaginta et quatuor Florenis ratione Expensarum, satisfacerent integraliter et complete. Item requisivimus et monuimus Canonice dictum Ludovicum et omnes et singulos Consules, Scabinos, Consulares, Magistros Operum et omnes personas et Universitatem in Franckenforde, ut prophanos removerent, nec eis intenderent, aut parerent, nec eos prophanare permitterent, nec ab eis diuina audirent, nec aliqua perciperent ab eisdem Ecclesiastica Sacramenta; Et ut corpora Johannis Winter, Johannis Senioris et Henningi Junioris Filii sui de Lichtenberc, Hermanni Gallici, Johannis Belcou, Laurentii Poloni, Nicolai Wiman, Hermanni Coci, Jacobi Salinatoris, Nicolai Sculteti in Dulglin, Bottonis Wale et aliorum Excommunicatorum extumulari et extra Ecclesiam et Cimiterium poni procurarent, et de cetero durante Interdicto in Ecclesiis vel Cimiteriis non sepelirent nec sepelire permitterent corpora Defunctorum; alioquin in omnes et singulos, qui mandatis nostris, imo verius Apostolicis inobedientes existerent vel Rebelles, Excommunicationis, in Capitula vero, Collegia et Conventus Ecclesiarum Cathedralium et aliarum Regularium et Secularium suspensionis, In Universitates vero Civitatum, Opidorum et aliorum lo-

corum Interdicti sententias promulgavimus, Pontificali tamen Dignitati congrua reverentia supportata, prout hec et alia in nostris literis Sigillo nostro Sigillatis, manu Nicolai Ottonis de Heyligenbil Notarii Publici confectis et signatis, clarius continentur. Quamvis autem hujusmodi nostre Litere et processus per nos facti Domino Johanni Episcopo Misnenfi in sua Cathedrali Ecclesia in Synodo Episcopali existenti, presentibus Wickone Preposito, Henrico Decano Misnenfi, Johanne de Strel Archidiacono Lusatie et aliis Canonicis Misnensibus, nec non plurimis Presbyteris Ecclesiarum Rectoribus et alia Cleri, Civitatis et Dioecesis Misnensis multitudine copiosa, et etiam in particularibus aliis locis Marchionatus Brandenburgensis circumvicinis presentati, notificati ac solemniter publicati fuerunt, sicque pervenerint et pervenire potuerint ad notitiam Dominorum Johannis Caminensis, Theodorici Brandenburgensis et Johannis Misnensis Episcoporum, et Johannis de Strel Archidiaconi Lusatie Misnensis Dioecesis Fratris Wernheri Magistri Provincialis Provincie Saxonie Ordinis Minorum, Gvardianorum et Fratrum Minorum in Franckenforde, in Cotbus et in Budesin et aliorum prescriptorum; Tamen Domini Johannes Caminensis, Theodoricus Brandenburgensis et Johannes Misnensis Episcopi, Johannes de Strel Archidiaconus Lusatie Misnensis dioecesis, Frater Wernherus Magister Provincie Saxonie Ordinis Minorum, Gvardiani et Fratres Ordinis Minorum in Franckenforde, in Cotbus et in Budesin Priores et Fratres Ordinis Predicatorum in Luckou et in Soldin, Priores et Fratres Ordinis Heremitarum in Frideberc et in Königsberc, Abbates et Conventus Monachorum in Dorbilu et in Nova Cella Ordinis Cisteriensis, Abbatisa Prepositus et Moniales de Gubin, Decanus et Capitulum et Collegium in Soldin, Richardus de Cotbus Plebanus, nec non de Luckou, de Besekou, de Gubin, de Summerwelt, de Fürstemberc, de Spremberc, de Kirchhayn, de Pitz, de Damis, de Sturcou, de Lubin, de Lubras, de Senftenberc de Scorbus, de Redrin prope Lucou, de Waltersdorf, de Zucherin, de Preczenn, de Winsterswalde, de Richa, de Scowe, de Wirbin, de Stroudou, de Blasdorf, de Popewitz, de Kolkwitz, de Bucou, de Schenkendorf, de Vrideland, de Vorst, de Mittenwalde, de Spandou, de Antiquo Landisberc, de Soldin, de Novo Landisberc, de Lupen, de Ban, de Königsberc, de NovoCalitz, de Friedeberc, Ecclesiarum Rectores et alii omnes et singuli Clerici et Ecclesiastice Personae in Civitatibus et locis aliis dictis Ludovico et aliis predictis vel alicui eorum subjectis, consistentes Caminensis, Brandenburgensis et Misnensis Dioeceseos, et Ecclesiarum Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres in Quartzano et in Lesna et Lagou Ord. Hospitaliorum Lubuc. Dioec. Sententias et processus nostros predictos et in eis contenta, non observant nec observare curant, in Animarum suarum periculum, sedis Apostolice contemptum et Scandalum plurimum, nec faciunt quantum ad ipsos et ipsorum quemlibet pertinet per suos subditos observari; Immo ut ad nostrum pervenit auditum, Dominus Johannes Episcopus Caminensis Exercitu suo et Prefidio dicto Ludovico contra bonum Statum et contra Rempublicam Marchionatus Brandenburgensis in destructionem Terrarum Dioecesis Lubucensis communicat et adheret et sibi in Re-

bellione Sancte Matris Ecclesie existenti, et contra Episcopum et Ecclesiam Lubucensem, ne dicte Diffinitive sententie et nostri Processus Excommunicationis ante dicti in dictum Ludovicum et Terras sibi adherentes prolata, debitum effectum sortiantur et executioni mandentur impedit, et sibi prestat auxilium, consilium et favorem dictique Caminensis, Brandenburgensis et Misnensis Episcopi, Johannes de Strel Archidiaconus Lusatie Misnensis Episcopi Dioec. et Frater Wernherus Magister faciunt et permittunt, simul et cum possint non prohibent, per suos Subditos in locis, Ecclesiis, Dioecesibus et Domibus eorum jurisdictioni subjectis Interdicto suppositis in Terris dicto Ludovico adherentibus Divina Officia celebrari, immo potius prophanari: Dictique Abbates, Abbatissa, Decanus, Gvardiani, Priores, Rectores Ecclesiarum, Fratres et cetera persone Ecclesiastice dictarum Dioecesium, ac Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres Hospitaliorum predicti dicte Lubucensis Dioeceseos in Marchionatu et aliis Terris dicto Ludovico parentibus, subjectis et adherentibus, consistentes, Interdictum Ecclesiasticum in Terras dicti Ludovici prolatum non promovent, sed Temporibus et locis interdictis Divina, ut possunt, celebrant, immo prophanant et damnabiliter ministrant tempore Interdicti prohibita Ecclesiastica Sacramenta; Et quod deterius est, licet Consules et Scabini, Magistri Operum ac omnes et singule persone utriusque sexus de Frankenforde Excommunicationis prolatae per Statuta Provincialia et Synodalia sententia sint ligatae, et sic excommunicate Autoritate Apostolica publice nunciate: tamen Gvardianus et Fratres Minores in Franckenforde Confessiones talium personarum Franckenfordensium per dicta Statuta Excommunicatarum in Casibus prohibitis audiunt easque ab huiusmodi Excommunicationis sententia a Peccatis suis de facto, deceptorie et damnabiliter, cum de jure non possint, absolvent et in prejudicium Episcopi et Capituli Lubucensis et Defunctos Excommunicatos publice tempore Interdicti in Cemiteriis et locis domorum suarum sepeliunt et sepelire faciunt, permittunt, fiunt et non prohibent, et nihilominus personas utriusque Sexus predictas de Franckenforde, ut predictum, Excommunicatas publice Autoritate Apostolica, Diebus et Festivitatibus Nativitatis Dominice, Pasche, Pentecostes et Assumptionis Beate Marie Virginis pullatis Campanis celebrando, Divina alta voce ad celebrationem huiusmodi Divinorum publice et indifferenter admittunt, nec dictos Excommunicatos publice repellunt a Divinis Officiis nec Confessionibus, ut tenentur. Immo dicti Gvardianus et Fratres Minores de Franckenforde ut personas dicti loci Excommunicatas magis aliciant, et contra Episcopum et Clerum potius provocent, singulis diebus in hora, qua, si Interdictum non esset, Missa Communis celebrari deberet, in Ecclesia Domus eorum indutus Saltim Camisia Clericali, duobus Fratribus aliis Candelas deferentibus, Corpus Christi desert publice de Sacristia ad Altare, et ibi stans dictis personis Excommunicatis ostendit Corpus Christi, sic Excommunicatis Communicando, ut ipsi videant Corpus Christi, sicut in Missa solenni, que celebratur Interdicto huiusmodi non extante, sicque cottidie novas ad inventiones exquirunt ad dirumpendum nervum ecclesiastice discipline excommunicationis in dictas personas et Interdicti in Franckenforde et alia loca, dicto Ludovico adherentia, sententias promulgatas contemnendo et temere violando et per nos prolatae excommunicationis et Interdicti sententias incurrendo, Dominique Barnimus Dux Stetinensis et alii subscripti

Nobiles, Milites et Armigeri, Abbates, Conventus, Monachi, Ecclesiarum Rectores, Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres Hospitaliorum et alii predicti Cives, Opidani, Rustici, Inhabitatores Locorum dicto Ludovico et aliis predictis et eorum cuilibet adherentes ac Milites, Cives, Rustici, Agrorum Cultores per totam Dioecesin Lubucensem ac Opidani, Incole et Inhabitatores omnes et singuli Opidorum Ofna *) et Furstenwælde dicte Lubucensis Dioecesis ac Ludovici prophani Opidani dicti opidi in Franckenforde predictos nostros Processus et sententias et in eis contenta observare et exequi, quantum in eis est contemnunt et negligunt, et non curant in animarum suarum periculum, Sedis Apostolice contemptum et Scandalum plurimum.

Verum quod nil obedientia humilibus prodesse videretur, si contemptus contumacibus non obesset, Vobis et Vestrum cuilibet Autoritate Apostolica mandamus, quatenus dictos Dominos Johannem Caminensem, Johannem Misnensem, Theodoricum Brandenburgensem Episcopos, Johannem de Strel Archidiaconum Lusatiae Misnensis Dioecesis, Fratrem Wernherum Magistrum Provinciae Saxonie Ordinis Minorum, Gvardianos et Fratres Minores in Franckenforde, in Cotbus et in Budesin, Priores et Prates Predicatorum in Lucou et in Soldin, Priores et Fratres Eremitarum in Fredeberc et in Königsberc, Abbates quoque de Nova Cella et de Dorbluc Monasteria et Conventus eorum Cisteriensis Ordinis, Abbatissam, Prepositum et Moniales de Gubin, Decanum et Capitulum seu Collegium in Soldin, Richardum de Cotbus, nec non de Luckou, de Beseckou, de Gubin, de Summervelt, de Fürstenberc, de Spremberc, de Pitz, de Kirchayn, de Damis, de Storcou, de Lubin, de Lubras, de Senftenberc, de Scorbus, de Redern prope Luckou, de Waltersdorf, de Zucherin, de Preczem, de Winterswalde, de Richa, de Scowe, de Wirbin, de Strodou, de Blasdorf, de Popewitz, de Kolkewitz, de Bucou, de Schenkendorf, de Vrideland, de Vorst, de Mittenwalde, de Spandou, de Soldin, de Antiqua Landesberc, de Nova Landesberc, de Lupen, de Ban, de Königsberc, de Nova Kalitz, de Vredeberc Ecclesiarum Rectores et alios omnes et singulos, Clericos et Ecclesiasticas Personas in Civitatibus et Locis predictis et aliis predictis vel alicui eorum adherentibus vel subjectis consistentes, nec non Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres Hospitaliorum in Quartzano, in Lesna et in Lagou predictarum, Caminensis, Brandenburgensis et Misnensis ac Lubucensis Dioeceseos, Ac etiam omnes et singulos Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres Hospitaliorum per Marchionatum Brandenburgensem et Terram Lusatiae consistentes, nostris immo verius Apostolicis mandatis inobedientes et rebelles sententiis non parentes et Interdicta violantes, Excommunicationis Sententiam et alias penas in nostris Processibus comprehensas predictas et contentas, denunciatis incurrisse et in eas incidisse: Ipsosque omnes et singulos Episcopos predictos, nec non omnes et singulos infra scriptos, qui, ut premittitur, nostris mandatis inobedientes et rebelles extiterunt, seu Interdicta violaverunt, denunciamus interdictos, suspensos et excommunicatos, Et Fratrem Wernherum Magistrum Provinciae Saxonie et Jo-

*) Drossen in der Neumark.

hannem de Strel Archi-Diaconum Lufatie Excommunicatos et Anathematizatos, et omnes et singulos Ecclesiasticos, Ecclesiarum Rectores, Abbates, Abatiffam, Priores, Gvardianos Predicatorum, Minorum et Heremitarum, Ordinum, Decanum, Fratres, Sorores et omnes et singulas Personas predictas, nec non Priores, Preceptores, Commendatores et Fratres Hospitaliorum prescriptos in Quartzano, in Lesna et in Lagou Lubucensis Dioeceseos et omnes alios Hospitaliorum in Marchionatu Brandenburgensi et Terra Lufatie et aliis Terris dicto Ludovico parentibus, subjectis et adherentibus consistentes, Excommunicatos et Excommunicatas, Anathematizatos et Anathematizatas, omniaque Capitula, Conventus et Collegia Monachorum predictorum et Ecclesiarum predictarum denunciamus in Suspensionis sententias incidisse omniaque predicta Loca et Monachorum Ecclesias, Monasteria, Hospitalia et cetera Loca in Terris dicti Ludovici existentia, in quibus quocunque modo alias possent celebrari et publice Divina audiri, denunciamus supposita fuisse diu et ad huc esse Ecclesiastico Interdicto. Item denunciamus Nobilem Virum Dominum Barnimum Ducem Stetinensem Caminensis Dioeceseos, Ulricum et Albertum sive Alf Comites de Lindou Havelbergensis Dioeceseos, Haffonem dictum de Wedel Seniore et Haffonem, Wickonem et Hinckonem dictos de Wedel, Gothonem de Grifenberc Caminensis Dioeceseos Bernhardum, Theodoricum et Friedericum de Turgou Dominos in Czofna, Fridelmum et Johannem Fratres de Cotbus, Johannem de Strel, Botonem de Turgou, Henricum de Damiz Dominum in Gollin, Henricum et Borchardum, Dominos in Damiz, Ericum et Ottonem Schencken de Schenckendorp et Albertum Patruum eorum Dominum in Teupitz, Ottonem de Ylenburc Dominum in Sunnenwalde, Ottonem et Botonem Juniorem Dominos ibidem in Sunnenwalde dictos de Ylenburc, Hartmannum Mager, Conradum et Theodoricum Fratres de Ylou, Henricum Lupen, Henricum Vockinrade, Henricum Walterum et Friedericum dictos de Kökeritz, Misnensis Dioeceseos, nec non Henningum, Henricum et Arnoldum Fratres dictos de Uchtenhagen, Johannem, Ottonem, Offonem et Renczonem Fratres dictos de Loffou, Nicolaum, Hermannum et Henricum Fratres dictos de Wolkou, Conradum de Sturcou, Henningum Burcardisdorf, Johannem Mildenhopt, Betkonem Bocil, Conradum dictum Strantz de Lubus, Gunterum de Slabrendorf, Theodorum Hake, Tamonem et Copponem Fratres dictos de Hoindorf, Tilonem de Schowen, Johannem de Loffou, Wernherum et Henricum Fratres dictos List, Fredericum List et Luderum List Fratres, Henckonem, Bernhardum, Nicolaum et Petrum Fratres dictos Wolchardisdorf Lubucensis Dioeceseos, Nobiles, Milites et Armigeros, qui se gerunt pro subditis et Vassallis dicti Ludovici de Bavaria Eidem Ludovico contra dictarum Sententiarum et nostrorum Processuum prohibitionem, ut percepimus, parent, obediunt et intendunt, sibi que Excommunicato et Reprobato indifferenter et perperam ac temere participaverunt et communicaverunt, ac communicant et participant, ac sibi in rebellionem et contemptum Sancte Matris Ecclesie prestant ac prestare non cessant auxilium, Consilium et Favorem, omnes predictos et singulos dicti Ludovici subditos et Vassallos,

sibi obedientes et parentes vel etiam auxiliantes, Excommunicationis Sententiam per Nos latam in predictis Processibus incurrisse et incidisse. Denunciamus etiam dictum Ludovicum ac Nobiles, Milites, Cives, Opidanos, Villanos, Rusticos, Agricultores, Colonos et omnes habentes et colentes Agros in Dioecesi Lubucensi pro non solutis integris Decimis dicto Episcopo Lubucensi similem Excommunicationis Sententiam incurrisse. Similiter denunciamus Ludovicum de Bavaria predictum, Henricum, Henningum et Arnoldum Fratres dictos de Uchtenhagen Lubucensis Dioeceseos, Opidorum seu Villarum Foronsum Osna et Fürstenvelde dicte Lubucensis Dioeceseos ad Episcopatum et Ecclesiam Lubucensem pertinentium et ipsis per tres Diffinitivas Sententias adjudicatorum violentos et illicitos detentores, nec non Consules, Consulares, Scultetos et Magistros operum, Operarios omnium Operarum, Opidanos et omnes ac singulas Incolas et Inhabitantes ac Universitates ditorum Opidorum seu Villarum pro eo, quod per Nos moniti atque iussi dicto Episcopo nomine Ecclesie Lubucensis Homagium et Fidelitatem non prestiterunt et prestare non curant, Sibique de ditorum Opidorum seu Villarum iuribus, iurisdictionibus, Honoribus, Reditibus, Proventibus et Emolumentis seu Obventionibus responderi, similes Excommunicationis et Interdicti Sententias incurrisse et etiam incidisse. Denunciamus etiam dictum Ludovicum ac Consules, Consulares, Scabinos, Operarios, Opidanos et omnes et singulas Personas utriusque Sexus et Universitatem in Franckenforde pro non solutis undecim mille sexcentis et quadraginta Marcis Brandenburgensis Argenti et quingentis quinquaginta quatuor Florenis intra Terminum per Nos ipsis statutum dictis Episcopo et Capitulo Lubucensi et pro eo, quod prophanos non dimiserunt, sed eis damnabiliter intendunt, et aliis Mandatis Nostris in dictis Processibus contentis non paruerunt nec parent, Excommunicationis et Interdicti Sententias precipue prius prolatas similiter incidisse et incurrisse. Similiter denunciamus omnes et singulos Franckenfordenses pro eo, quod Corpora Defunctorum Excommunicatorum, que distinguere poterant, per se sepulorum loco et tempore interdictis, non extumulaverunt, simili Excommunicationis sententie subjacere.

Quocirca Vobis universis et singulis Autoritate Apostolica, qua in hac parte fungimur, in virtute Sancte Obedientie et sub Excommunicationis Pena, quam sex Dierum Canonica Monitione premissa, quorum duos pro primo, duos pro secundo, et reliquos duos pro tertio et peremptorio Termine Vobis et Vestrum singulis assignamus, in Vos et Vestrum quemlibet, qui mandatum Nostrum implere contempserunt, proferimus in his scriptis, quatenus Vos et quilibet Vestrum in Ecclesiis, Civitatibus, dictis locis Monasteriorum et pertinentibus vestris et in omnibus locis, in quibus et quando fuerit expediens, hunc nostrum Processum et contenta in eo publicetis, nuncietis, notificetis, denunciatis et exequamini, et publicari, nunciari, notificari, denunciari et Executionem earum solemnem singulis Diebus Dominicis fieri per Vestros Subditos faciatis, dictosque Excommunicatos omnes et singulos Cibo, potu, Allocutione, Emptione, Venditione, ad hospitium receptione et quovis actu legitimo evitetis et faciatis ab aliis evitari.

Vobis autem Dominis Archiepiscopis et Episcopis, quos ob reverentiam Pontificalis Officii volumus prefatis et subscriptis Sententiis sic ligari, si premissa et subscripta, prout

ad Vos pertinent, non feceritis, et Mandatis Nostri non parueritis, Vobis et Cuilibet Vestrum in his scriptis ingressum Ecclesie interdiximus, et si huiusmodi Interdictum per sex Dies sustinueritis, vel aliqui seu aliquis Vestrum sustinuerint, Vos et quemlibet Vestrum, qui rebellis fuerit, in eisdem scriptis suspendimus a Divinis. Verum si prefatas Interdicti et suspensionis Sententias per alios sex Dies sustinueritis, animis seu animo induratis seu indurato; Nos in Vos et quemlibet Vestrum rebellem, dicta Monitione premissa, in his scriptis Excommunicationis sententiam promulgamus, Absolutione omnium et singulorum, qui has nostras Sententias vel earum aliquas quomodolibet incurrerit, Nobis vel superiori Nostro omni modo reservata. Ceterum quia ex conuentione Reverendi Patris Episcopi et Capituli Lubucensis accepimus, quod Magnifici Principes Domini Woldemarus Danorum et Slavorum seu Dacie et Casimirus Polonie Reges Illustres dicto Ludovico pro suis sceleribus, iusto Sancte Matris Ecclesie iudicio reprobato et Excommunicato, amicabiliter communicant, sibi prestant auxilium, Consilium et favorem, sibi assistunt, presertim dictus Dominus Rex Danorum et Slavorum seu Dacie persona sua propria et omni virtute seu populo sui Exercitus: Ideo monemus primo, secundo, tertio peremptorie et Canonice predictos Dominos Reges Dacie et Polonie, nec non Dominum Wenceslaum Ducem Stetinensem, Pomeranie, Slavie et Cassubie, ac Dominos Fredericum ac Balthasarem Fratres, Marchiones Misnenses, quatenus infra viginti quatuor Dies, postquam presens Processus noster, si secure potest fieri, ad ipsorum notitiam vel alterius eorum pervenerit, vel si ipsis propter metum, ut credimus, nunciari non potest, postquam idem processus in Curia Excellentissimi Principis Domini Caroli Regis Romanorum et aliis locis publicis circumvicinis, secundum quod verosimiliter ad ipsorum et cujuslibet eorum notitiam potuerit pervenire, fuerit publicatus, quorum viginti quatuor dierum octo pro primo, octo pro secundo, et reliquos octo Dies pro tertio et peremptorio Termine et Monitione Canonica dictis Dominis Regibus, Marchionibus et Duci et eorum singulis assignamus, ab auxilio, Consilio, favore, subsidio, subvencione, opere, protectione, Exercituum seu stipendiorum, Vasallorum, Subditorum, Literarum ac Nunciorum missione et qualibet illicita participatione et communicatione dicti Ludovici cessent omnino et penitus abstineant et desistant, alioquin eosdem Reges, Marchiones et Ducem predictos et quemlibet eorum contrafacientes dicta Monitione premissa in his scriptis Excommunicationis Vinculo innodamus, mandantes Vobis sub Penis prescriptis, quas, nisi feceritis, quod mandamus, Vos et quemlibet Vestrum in modum, quo Sententie late sunt, incurrere volumus ipso facto, quatenus ex tunc, si Mandatis Nostri, imo verius Apostolicis inobedientes fuerint vel rebelles, singulis Diebus Dominicis predictos Dominos Reges, Marchiones et Ducem Excommunicatos publice, ut prescribitur, nuncietis et nunciari ab aliis faciatis, donec aliud a Nobis receperitis in Mandatis. Postremo monemus dictum Ludovicum et Civitatem Franckenfordensem, ut infra tres Menses, postquam presens Processus noster ad eos pervenerit, vel, ut supra predicatur, pervenire potuerit, quorum unum Mensem eis pro primo, alium pro secundo, tertium pro peremptorio termino et monitione Canonica assignamus, dicto Domino Episcopo et Capitulo Lubucensi de Fructibus perceptis de Bonis Episcopi et Capituli Lubucensis a tempore prime sententie,

late per Dominum Amanemum, tunc Auditorem Sacri Palatii Apostolici et citra, et qui percipi potuerint, in quibus ipsis sunt per trium Auditorum Diffinitivas Sententias condemnati, satisfaciant integraliter et complete, alioquin dictum Ludovicum, eadem monitione premissa, iterum Excommunicationis vinculo innodamus, Universitatem vero, Opidum sive Locum in Franckenforde predictum Ecclesiastico in his scriptis subjicimus Interdicto. Quam Excommunicationis sententiam, si dictus Ludovicus per duos Menses sustinuerit animo pertinaci, Nos dicta monitione premissa itidem omnes Terras, eidem Ludovico parentes, obediens et adherentes, et quas quocumque modo tenet, detinet seu possidet et occupat, videlicet Marchionatum Brandenburgensem, Terram Lusatie, Superiorem et Inferiorem Bavarie Ducatum et Comitatum Tirolis ac omnes Ecclesias et Terras sibi tanquam Patrono, Advocato seu Defensori parentes et adherentes, in his scriptis Ecclesiastico subjicimus Interdicto, Mandantes Vobis sub Penis, quibus supra, quas Vos in modum, quo supra prolatae sunt, incurere volumus ipso facto, si non feceritis, quod mandamus, quatenus Interdictum hujusmodi fervetis et faciatis a Vestris Subditis observari. Volumus tamen hunc nostrum Processum penes eosdem Episcopum et Capitulum Lubucenses remanere vel Procuratores ipsorum et non penes Vos vel aliquem Vestrum contra ipsorum Voluntatem. Contrarium facientes prefatis sententiis per Nos latis ipso facto volumus subjacere. Mandamus tamen üsdem, ut Vobis, si eam petieritis, copiam faciant de premissis, Vestris tamen sumptibus et expensis. Quicquid autem super premissis vel premissorum aliquo, qualiter, ubi et quando prefens Nostrium Mandatum executi fueritis, et quicquid dicti rebelles, quibus dictum Mandatum notificatum fuit, ad contenta in ipso responderint seu responderi fecerint, et que spes de eorum Obedientia haberi possit, nobis certificare per Instrumenta Publica vel per Literas Vestris Sigillis sigillatas specificè curetis, ut sic durius, prout ipsorum exigit Contumacia, contra eos procedere valeamus, Vosque de Obedientia et diligentia possitis commendari. Nolumus autem nec intendimus Nostris vel eorum alicui prejudicare Collegis, qui ipsi vel eorum alter, servato tamen hoc nostro vel alio processibus per Nos factis, possint in isto negotio procedere, prout eis visum fuerit expedire. In quorum omnium Testimonium presentem processum Nostrium seu publicum Instrumentum per Johannem Schumere Clericum, Notarium Nostrium, scribi et publicari mandavimus et nostri Sigilli munimine roborari. Acta fuerunt hec Villa Nova Avinionensis Dioeceseos, Anno a Nativitate Domini Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo, Indictione tertia, Mensis Maji Die XIII, Pontificatus dicti Domini Clementis VI. Anno octavo, presentibus Venerabilibus et Circumspectis Viris, Dominis Reimundo de Sancta Gemma etc. —

Et Ego Johannes Schumere, Clericus Osnabrugensis, Publicus Apostolica et Imperiali Autoritate Notarius, premissis omnibus et singulis, Monitionibus videlicet et Excommunicationis sententiae Denunciationibus et aliis superscriptis, dum sic per Eundem Dominum Executorem agerentur, prefens una cum denominatis Testibus interfui eaque sic fieri vidi et audivi, et de Mandato et Autoritate dicti Domini Executoris et Ministrorum per Venerabilem Virum Dominum Petrum de Cunersdorf, Canonicum Lubucensem, asserentem se Procuratorem Dominorum Episcopi et Capituli predictorum Lubucensium, requisitum hoc In-

Istrumentum inde confeci; Quod meo Signo signavi et ipsius Executoris Sigillo Majori impendenti sigillavi in Testimonium premissorum.

Aus Gundling's Abschrift manuscript und Vergleichung mehrerer sehr fehlerhafter Abdrücke in Beckmann's Beschreibung der Stadt Frankfurt an der Oder, S. 98—104. Buchholz, Geschichte der Mark Brandenburg Thl. V, Anh. S. 82 und a. a. D.

DCCCCXXXIV. Pfalzgraf Ruprecht entscheidet die zu Bautzen noch vorbehaltenen Uneinigkeiten, die zwischen dem Könige Karl und dem Markgrafen Ludwig, besonders über den Durchzug des Königs durch des Markgrafen Lande, stattgefunden, den 20. Mai 1350.

Wir Rueprecht von Gottes gnaden etc. Veriehen etc. allein wie vormals in der Statt zu Budiffin, alle die Zweiung, sach vndt Kriege, die zwischen dem Allerdurchleuchtigsten Fürsten vndt vnserm g. H. Hrn. Karl Römischen Khünige etc. an einem theile, vndt dem hochgebornen Fürsten vnd Herrn, Herrn Ludwig, Marggrafen zu Brandenburg etc., vnserm lieben Vetteren, an andern theile, gewesen sein, guetlich vndt freuntlich bericht vndt entscheiden haben. Auch haben wir vnns vndt vnserer entscheidunge zu besser vndt zu mehrer beifichtigkeit noch behalten, das wir zwischen Ihnen sprechen muegen, vmb die Statt Schwebischen werdt, vndt vmb die durchfahrt des obgenanten vnser Herrn, die er haben soll gegen Lampert, durch des obgenanten vnser Vetteren Landt, als in vnsern entscheidet briefen, die wir darüber gegeben haben, volkömlich geschrieben stehet, vndt davon finden, sprechen, vndt entscheiden wir mit wolbedachten mut vnd mit Rechter wissen, das dem obgenanten vnserm Herrn dem Römischen Künige, seinen Hauptleuten vndt all seinem Volke, des vngenannten vnser Vetteren Lande, Clausen, weege vnd straffen, in allen seinen herfschaften vndt allenthalben, wo er Lande inne hat, offen sein sollen, das sie durch dieselben seine Landt vndt herrschaften gegen Lampert vnd gegen Roma faren muegen, vngehendert vor allen den, die durch desselbigen vnser Vetteren wollen thun vndt lassen, vnshedlich doch des obgenanten vnser Vetteren Landen vnd Leuthen ohn gefehrde. Mit Vhrkund etc. Geben zu Nurnberch, nach Christi Geburt MCCCCL. Jahre, Dinstages in Pfingstfeiertagen.

Nach Pelzel, R. Karl IV. Thl. I, Urkunden-Buch S. 155. 156.

DCCCCXXXV. Markgraf Ludwig von Brandenburg reversirt sich gegen Grafen Johann von Henneberg, ihn wegen seiner Dienste schadlos zu halten, am 27. Mai 1350.

Wir Ludewig, von Gotis Gnadin Marggrasse tzu Brandenburg etc., bekennen offinlich mit disen Brieff, daz wir dem edeln Manne Grafen Johans von Henne-